



Jahresbericht

über das

Gymnasium zu Elberfeld,

womit zu der

Öffentlichen Prüfung am 30. und 31. August

und zu der

Schlussfeier am 31. August

ehrerbietigst einlädet

Dr. Karl Wilhelm Bouterwek,

Director des Gymnasiums.

Schuljahr 1854—55.


200.

Voran geht die Abhandlung des Herrn Dr. Otto Ribbeck:

Electiones Vergilianae.

Elberfeld 1855.

Gedruckt bei Sam. Lucas.



Lectiones Vergilianae.

Scripsit

O. Ribbeck.

Georgica Vergilius quo tempore scripserit, notissimum testimonium in commentario Serviano (ad Aeneidis init. conl. vitae §§. 31 40 42 50) extat hoc: ‘item’, sc. post bucolica, ‘proposuit Maecenas georgica, quae scripsit emendavitque septem annis.’ Nam cum eclogas iuvenis annorum XXVIII triennio, i. e. intra annos 712—714 absolvisse, Aeneidi undecim extremos vitae annos 725—735 tribuisse tradatur, medium aetatis spatium georgicis relinquitur. Quae num re vera ‘reverso ab Actiaca victoria Augusto atque reficiendarum faucium causa Atellae commoranti’ recitaverit poëta, nescire licebit: certius est versum II 497 ‘aut coniurato descendens Dacus ab Istro’ ad annum 724 quadrare, quo adversus Bastarnas et Dacos bellum a M. Crasso gestum est. Item quae in extremo quarto libro leguntur: ‘haec super arvorum cultu pecorumque canebam Et super arboribus, Caesar dum magnus ad altum Fulminat Euphraten bello, victorque volentis Per populos dat iura viamque affectat Olympo’ non possunt non ad anni 724 hiemem referri, qua Octavianus in Asia cum ceterarum gentium tum Parthorum res composuit. Sed literis nimis inhaeret Wagnerus, qui reiecto quod supra attulimus testimonio et sola Vergili scilicet auctoritate innixus totum opus intra annos 723—725 coërcendum esse inde conclusit, quasi non poëtae esset uno Musae impetu parta simulare, quae ‘lambendo demum ursae more effinguntur’. Aliud quid simili subtilitate abreptus indagasse Frankius (Fast. Hor. 23) sibi visus est. Cum enim dubitari sane nequeat quin ad annum 719 pertineant, quae libri primi initio (24 sqq.) et exitu (500 sqq.) de divinis Octaviani honoribus et de periculis, quibus vexetur res publica, innuntur, ille statim non ‘ad finem’ tantum ‘perductum’ primum librum eo anno, sed etiam seorsum ‘evulgatum’ esse sibi persuasit. At tamen uno prohoemio comprehendit poëta totius operis materiam: itaque modestius, ni fallor, dicemus innotescere potuisse amicis quibusdam carmen illud a 719, atque ita satis superque explicatum erit, unde orta sit illa versuum extremorum ‘ut cum carceribus sese effudere quadrigae, Addunt in spatia et frustra retinacula tendens Fertur equis auriga neque audit currus habenas’ similitudo cum Horatianis in satira prima (114 sqq.), quae quantum post annum 716 scripta sit, ignoramus: ‘ut cum carceribus missos rapit ungula currus, Instat equis auriga’ e. q. s. Nam quod Bavii versum ‘hordea qui dixit, super

est ut tritica dicat' arguunt non posse post annum 719 scriptum esse, quoniam auctor eius mortuus sit Ol. 186, 2, i. e. 719/20 u. c., id tam reete dictum est, ut ne georgieorum quidem versum I 210 'serite hordea campis' videatur expectare debuisse obtrectator ille. Nam multo ante in ecl. 5, 36 scripserat Vergilius: 'grandia saepe quibus mandavimus hordea sulcis'.

Gravius est quod animadverterunt alii, inesse in georgicis, quae post ipsum annum 724 scripta videantur. Nam etsi pugnae Actiacae Indi interfuisse dicuntur ab ipso Vergilio (Aen. VIII 705): 'omnis eo terrore Aegyptus et Indi, Omnis Arabs, omnes vertebant terga Sabaei', tamen quae leguntur ge. II 170: 'et te, maxime Caesar, Qui nunc extremis Asiae iam victor in oris Inbellem avertis Romanis arcibus Indum', ea videri possint paulo etiam melius ad foedus anno 734 cum Indis ictum quadrare. Et quasi divina mente adflatus distinctius etiam cecinit vates res eodem anno gestas ge. III, 26 sqq.: 'in foribus pugnam ex auro solidoque elephanto Gangaridum faciam victorisque arma Quirini, Atque hic undantem bello magnumque fluentem Nilum ac navalii surgentis aere columnas. Addam urbes Asiae domitas pulsumque Niphaten Fidentemque fuga Parthum versisque sagittis, Et duo rapta manu diverso ex hoste tropaea Bisque triumphatas utroque ab litore gentis'. Certe non apertius de hoc tempore postea egit Propertius III 10, 13 sqq. IV 4, 1 sqq. V 6, 77 sqq. Sed tamen Nili mentione inter Indos Parthosque interiecta monemur, ne confidentius negemus, potuisse etiam incohata tantum magnificentius et ut maiora auguraretur poëtam exornare.

Demonstrari igitur certis atque indubitatis argumentis vix potest, Vergilium in rebus aetatis suae significandis ultra annum 724 progredi voluisse. Sed tamen expoliendo carmini etiam postea operam navavit. Nam primum Galli laudes, quas quarto libro cecinerat, cum de Aegyptiorum apes procreandi arte ageret, post annum 728 iubente Augusto delevit earumque in locum Orphei fabulam copiosius enarravit. Quod cum bis testetur Servius [in ecl. X 1 et ge. init. conl. vitae §. 38*]), nec ulla ex parte probabilitati repugnet, temerarius sit qui pro grammaticorum commento habere quam bona fide credere malit. Item ad I 69 sq. '*illuc, officiant laetis ne frugibus herbae, Hic, sterilem exiguis ne deserat umor harenam*' est Servii adnotatio lacera sane, sed quae tamen facillime restitui possit: 'ipsius manu adiecti sunt deletis duobus, quorum alter totus legi [non] potuit: *illuc officiant segetes ne frugibus illis*; ex altero hoc tantum: *ne deserat humor arenam*'. Emendatam Vergili manum praeterea libri nostri servarunt in II 225: 'et vicina Vesaeo Ora iugo', ubi antea '*Nola iugo*' recitaverat atque ediderat poëta teste Philargyro eoque commentario, quem excerptis Gellius VI 20. Nam fuisse re vera priorem illam lectionem in archetypo pro certo teneo, causae, qua permotus Nolanis immortalitatem eripuisse narratur, minus curiosus. Perstringimus cetera. I 6 'vos, o clarissima mundi *Lumina*'; ita MPR (i. e. Mediceus Palatinus Romanus), Servius: '*lumina. numina* fuit, sed emendavit ipse, quia postea ait: *et vos agrestum praesentia numina Fauni*'; I 13 'tuque o, cui prima frementem *Fudit equum magno tellus percussa tridenti*' MPR et Probus; Servius: '*fudit equum m. t. p. t. antiquissimi libri; fudit aquam* plerique habuerunt . . . sed melius *equum*, propter armenta. [in correcto: *equum*, in authentico: *aquam*, ipsius manu: *equum*]'. I 66 '*glaebasque iacentis Pulverulenta coquat maturis solibus acastas*' MP, *maturis frugibus* R; Servius: 'ipsius manu adjectum *maturis solibus*', ut quod prius scripserat '*frugibus*' postea repetitionis v: 69 evitanda causa correxisse videatur Vergilius. II 344 'si non tanta quies iret *frigusque caloremque* Inter' MR et Nonius 200, 3 310, 32 326, 11; sed Philargyrus: '*fuit autem prior leetio: frigusque calorque*, ut Plautus: *neque frigus, neque calor metuo neque ventum neque grandinem***)', aliter hypermetrus versus erit'.

*) Priore et tertio loco neglegentius Aristaeus pro Orpheo dicitur, altero utrumque nomen in cod. Voss. legitur: 'nam laudes Galli habuit locus ille, qui nunc [Aristaei] Orphei continet fabulam'.

**) Quamquam Plauti versum, qui est Merc. V 2, 12, Ritschelius etiam interpunctione discripendum esse statuit, ut haec evadant: '*nique mihi ulla opsistet amnis nec mons neque adeo mare Nec calor nec frigus: metuo neque ventum neque grandinem: Imbrem perpetiar, laborem sufferam, solem, sitim*'; in quibus tertius versus, ut qui praeter 'sitim' tolerandam nihil novi profiteatur, vereor ne inter glossemata referendus sit, de quibus actum in praef. p. VII. De reliquis autem sententiam concedendum erit concinniorem reddi sic ipso Scaligero auctore pronuntiatam: '*nique mihi ulla opsistet amnis nec mons neque adeo mare: Nec calor nec frigus metuo, neque ventum neque grandinem*': modo ne absurde a veteribus grammaticis neutro genere usurpatam vocem 'calor' admissam esse demonstretur. Interim simillimum exemplum suppeditat Priscianus p. 658 P. 'hic et hoc liquor'.

Ac servavit calorque P. IV 141 ‘illi tiliae atque *uberrima pinus*’ MP, Servius: ‘ipsius autem manu duplex fuit scriptura: *tinus* et *pinus uberrima*’. IV 231 ‘bis gravidos cogunt *fetus*’ MR et Servius, sed Philargyrus: ‘*flores* emendatum fuit’, quod extat in Palatino. Nec sane his testimoniis locorum, quos secundis curis retrac-tavit Vergilius, numerus finitus erit: immo eodem spectare aliquotiens ipsorum librorum dissensus videtur, velut ut paucissima quaedam delibem: I 226 ‘vanis elusit *aristis*’ MR, Nonius 301 et 416; *avenis* P et Probus (cf. H. Keilius Philol. II 164). II 194 ‘lancibus et *pandis*’ PMm. 2, Servius, Philargyrus; *patulis* Mm. 1 (cf. Aen. VII 115). II 294 ‘multosque *nepotes*’ MPR, ‘multosque per annos’ Veronensis (V) et Nonius 525, 25 (cf. IV 208). III 310 ‘manabunt *flumina*’ MF (i. e. fragmenta Vaticana), Philargyrus; *ubera* PR, varia lectio apud Philargyrum, Nonius 351, 3. IV 125 ‘sub Oebaliae . . . turribus *altis*’ M et Servius, *arcis* P et Arusianus Messius p. 245 Lind. v. memini. IV 173 ‘gemit inpositis incudibus *antrum*’ PF (cf. Aen. VII 451), *Aetna* M. IV 217 ‘*corpora* bello obiectant’ MR, *pectora* P. IV 509 ‘flevisse et gelidis haec evolvisse sub *antris*’ MP, ‘flesse sibi . . . astris’ R.

Sed haec accuratius olim persequenda erunt, illud vero nunc etiam exemplis allatis appareat, potuisse Augusti victorias quoque postea anni 734 splendore inlustrare Vergilium. Nec tamen secundas curas illas ita absolvisse statuendus est, ut totum poëma iterum ipse ederet: quod si fecisset, non dubium fuisset, quid reliquisset auctor, neque de correcti et authentici exemplarium discrimine amplius legeremus. Schedas igitur quasdam ut Lucretius vel in marginem interim coniecta subitaria commenta si reliquit, quibus alia resecuit, alia nova adiecit, alia correxit, ea suo quidque loco inserere et cum ceteris conciliare amicorum, qui mortui carmina ediderunt, officium erat. Quibus quo modo res cesserit diligenter circumspicere eorum erit, qui post Varium et Tuccam illa recensere animum induxerint.

Et notavit eius generis quaedam sane Wagnerus ad ge. IV 203 (I 47 135 II 171 III 32 219 IV 276 291—293), sed tam ille strictim, ut obiter rem attigisse potius quam pervestigasse iudicandus sit. Velut statim initio primi libri versus 47—49:

illa seges demum votis respondet avari
agricolae, bis quae solem, bis frigora sensit;
illius immensae ruperunt horrea messes

paulo inclementius damnavit. Nam quod Heynus arguit adversari sibi poëtam, cum primum quattuor arationes praeceperit, deinde (67 sq.) tribus contentus sit, non animadvertis, e sterili tellure ne posse quidem ‘immensas messes’ ullis artibus excitari. Alias quasdam offensiunculas interpretatione removit Reinhardtus in progr. gymn. Hildburgensis a. 1838. At levi cursu idem Wagnerus transiit sequentia, quae qua laborent difficultate ut demonstrem, praeceptorum inde a v. 43 ordo est proponendus. Primo vere arandum est (43—49), ante omnia tamen caeli solique natura exploranda (50—52), nam alia aliis regionibus proveniunt (53—63). Pingue autem solum ineunte anno invertendum, exile Septembri proscindendum (64—70). Recreatur agri aut cessando alternis annis (71 sq.) aut semine mutato (73—83) aut incendio (84—93). Praeterea aliae sunt rationes, quibus agrorum sterilitatem oppugnat diligens arator:

- 94 ‘multum adeo, rastris glaebas qui frangit inertis vimineasque trahit cratis, iuvat arva, neque illum flava Ceres alto neququam spectat Olympo,
et qui prosciutto quae suscitat aequore terga rursus in obliquom verso perrumpit aratro
- 99 exercetque frequens tellurem atque imperat arvis.
- 104 Quid dicam, iacto qui semine comminus arva insequitur, cumulosque ruit male pinguis harenæ,
deinde satis fluvium inducit rivosque sequentis’ e. q. s. usque ad v. 110
- 111 ‘quid qui, ne gravidis procumbat culmus aristis luxuriem segetum tenera depascit in herba’ e. q. s. usque ad v. 117.

Haec cum satis bene se excipere videantur, interrumpuntur versibus alienissimis, qui non ad culturam agrorum, sed ad caeli gratiam omnia referenda esse docent:

- 100 umida solstitia atque hiemes orate serenas,
agricolae: hiberno laetissima pulvere farra,
laetus ager, nullo tantum se Mysia cultu
iactat et ipsa suas mirantur Gargara messes.

Certe vel in exordio vel in exitu totius loci talia monenda erant. Quamquam qualia nunc sunt, neque post v. 117 posita satis faciunt neque cum superioribus bene coalescunt. Hiulca enim, ni fallor, ac molesta oratio haec foret: ‘*illius immensae ruperunt horrea messes*’ (49). *umida solstitia . . . ipsa suas mirantur Gargara messes* (100—104). ac prius ignotum ferro quam scindimus aequor, Ventos et varium caeli praediscere mores Cura sit’ (50 sq.). Et tamen hic solus locus est, ubi sententiarum saltem tenori quodam modo illa respondeant. Quid igitur probabilius statuemus, quam secundis curis hoc additamentum confinxisse Vergilium, sed ad reliqui carminis contextum adcommodare neglexisse?

Paulo post, ubi exponitur quo consilio humanos labores Juppiter instituerit (133 sq.):

ut varias usus meditando extunderet artis
paulatim, et sulcis frumenti quaereret herbam,
ut silicis venis abstrusum excuderet ignem

Facile quivis et fastidiosam versuum agnosceret consonantiam et ignis potissimum mentionem tanta insuper repetitiae ‘ut’ voculae vi statim injectam mirabitur. Nam ceterae quidem artes, ut naves aedificandi (136), stellarum cursum observandi (137 sq.), venandi (139 sq.), piscandi (141 sq.), fabricandi ad vitae usum instrumenta (142 sq.) in sequentibus deinceps tanguntur: tum demum ad Cereris instituta transitus paratur (145 sqq.). Neque aut corrigendo ‘ut sulcis . . . et silicis’ removentur vitia illa aut Wagneri, qui v. 135 in margine a Vergilio adpositum fuisse suspicatur, artificio satis excusantur. Qui si re vera ascripserit versum illum, non alia profecto causa id fecisse putandus sit, quam ut reliqua amplificaret, itaque ipse suorum corruptor extiterit. Quae cum ita sint, cum versum 134 quamquam et Probo inst. gramm. I 9, 11 et Nonio 317, 13 notum sine ullo damno atque etiam fortasse cum aliquo commodo desiderari posse iudico tum sequentem maxima probabilitate reddi interpolatori, qui in Aen. I 174 ‘silici scintillam excudit’ et VI 7 ‘semina flammae Abstrusa in venis silicis’ invenire poterat, unde sua conglutinaret. Nec desunt alia interpolationis in georgicis vestigia certissima. Non dico illam ad I 299 parodiam: ‘nudus ara, sere nudus: habebis frigore febres’, quae in nostros libros non transiit. Nympharum quoque nomina I 338, quae ex Aen. V 826 irrepserunt in deteriores libros, desunt in Palatino Romano Mediceo: ac ne Macrobius quidem Sat. V 17 utrumque locum conflasse putandus est, si quidem testibus Salisb. Med. 2 Med. 1 m. sec. haec excerptis: ‘Drymoque Xanthoque Ligeaque Phylodoceque, et: Melite Panopeaque virgo Nisaee Spioque’ e. q. s. Sed in Orphei fabula libro IV post v. 472 habes in Romano codice ascriptos tres versus, qui ex simili Aeneidis VI 310 sqq. loco repetiti sunt. In ipsius Medicei marginem post v. 389 libri I manu recenti inlata sunt: ‘et caput obiectat querulum venientibus undis’, quae ex versus 386 ‘nunc caput obiectare fretis, nunc currere in undas’ elementis ludi causa conficta esse nemo non intellexit. Item in II 127, ubi de malo Medico vulgo haec leguntur:

- quo non praesentius ullum,
pocula si quando saevae infecere novercae,
miscueruntque herbas et non innoxia verba,
130 auxilium venit ac membris agit atra venena

Palatini quidem et Romani testimoniis destituti sumus, in Mediceo vero margini tantum ascriptus legitur v. 129, ut recte statuisse videantur, qui temere ascitum esse suspiciuntur ex III 283 ‘hippomanes, quod saepe malaegere novercae, Miscueruntque . . . verba’. Quae cum hic optime posita sint, priore vero loco molesta et aliena, ne potest quidem ex sollemni quadam poëtae semet ipsum laudandi et quae semel eleganter dicta erant data occasione iterandi licentia excusatio sumi. Poterant autem hoc more inducti interpolatores etiam eo progredi,

ut laci*niis* quibusdam novas quasdam carmini inlecebras attexere conarentur. Ita quae de iuvene dicuntur, qui amoris causa procellosa nocte freta pernatat (III 263):

nec miseri possunt revocare parentes
nec moritura super crudeli funere virgo

possunt ex parte ab eiusmodi artifice ex Aen. IV 308 ‘nec moritura tenet crudeli funere Dido’ conflata videri. qui parum curaverit, quantum commento suo et a fabula et a communi sensu aberraret. Nam virgo quidem illa, quam visurus amator fanta pericula obibat, nec potuit nec voluit eum ab audacia ‘revocare’. Etiam de lectione anceps iudicium est I 333 in tempestatis descriptione:

ingeminant austri et densissimus imber,
nunc nemora ingenti vento, nunc litora plangunt.

Nam cum **PLANGIT**, quod Servius legit, in R extet, ‘plangunt’, quod alios legere idem testatur, M his literis exhibeat: **PLANGUNT**, (P autem hic deest), possunt variis modis componi aut ‘austri et imber plangunt’ aut ‘imber plangit’ aut fortiore post ‘imber’ vocem interpunctione posita ‘nemora et litora plangunt,’ i. e. planguntur. Sed et vento austri et imber plangere vereor ut satis concinne dicantur, nec imber vento potius quam ventus imbris fluctibus ferire videtur. Itaque resonare (ita enim interpretantur) statuamus nemora et litora. At mirum est eadem multo melius paulo post in venturae tempestatis indicii referri (356): ‘continuo ventis surgentibus aut freta ponti Incipiunt agitata tumescere . . . aut resonantia longe Litora misceri et nemorum incrèbrescere murmur’. Aut igitur brevissimo spatio simillima pronuntiavit poëta et optimam descriptionem duro atque obscuro, quo nihil opus erat, versu oneravit aut interpolatione foedatus est.

Sed redeamus unde digressi sumus, ut emendatos interpolatosque ab ipso Vergilio locos quantum fieri poterit indagemus. Sunt autem II 371 sqq. haec:

texendae saepes etiam et pecus omne tenendum,
praecipue dum frons tenera imprudensque laborum,
cui super indignas hiemes solemque potentem
silvestres uri adsidue capreaeque sequaces
375 inlidunt, pascuntur oves avidaeque iuvencae.
Frigora nec tantum cana concreta pruina
aut gravis incumbens scopulis arentibus aestas,
quantum illi nocuere greges durique venenum
dentis et ad morsum signata in stirpe cicatrix.

Vides eadem bis doceri: prohibendum esse a tenera fronde pecus, nam ipsa hiemis duritia solisque potentia magis nocere arboribus ferarum morsum (373—375), nec frigora tantum obesse aut aestatem, quantum dentes gregum (376—379). Quoniam autem haec multo dulcius atque uberioris fluunt illis, non poterit dubium esse. utra minus limatorum loco supponi voluerit auctor.

Immerito Wagnerus reiecerisse videtur versum III 219. Monuerat poëta, sacpe feminae bovis inlecebris tauros ad certamina inflammari, quod iam imagine pascentis in Sila iuvencae illustrat. Eam ubi conspexerunt tauri, in pugnas se praecipitant: quod quam subito fiat, melius quam omissa omni copula depingi non potuit:

‘pascitur in magna Sila *) formonsa iuvencia:
illi alternantes multa vi proelia miscent’ e. q. s.

Verum in sequentibus vide quo modo ad equorum amores transitum paret. Docet enim, omnia animalia amore in furem abripi, exemplis leaenae ursorum apri tigris suis hominum, ante omnes vero insignem esse equarum

*) SILA R, Asper 114, 28 (quamquam in schedis ‘silva’ legitur), ‘alii’ apud Servium (cf. Aen. XII 715, ubi SILVA R). SILVA M SILVA P, Arusianus Messius v. pastus p. 251. L., Servius.

orem. Sed huic ordini aliena inlata sunt. Facta enim hominum mentione (258—263) rursus ad feras pellimur, ut lynxes lupos canes cervos eodem studio teneri discamus (264 sq.). Quod cum brevissime fiat, n intellegitur, eur non post suis saevitiam (255—257) positum ferarum enumerationem concluserit. Sed stat aliud. Nam illud quoque mirum videtur, cur inter ipsa exempla, a quibus ad equorum animos transi- rūs est, horum ipsorum imaginem iam statim intermisceat (250—254), cum tamen postea (266 sqq.) eisdem eadem fere narret. Ni mirum turbarunt amici additamentorum ordinem, quae sic potius disponi beabant:

- 242 omne adeo genus in terris hominumque ferarumque
et genus aequoreum, pecudes pictaeque volucres
in furias ignemque ruunt. Amor omnibus idem.
Tempore non alio catulorum oblitera leaena
sacvior erravit campis, nec funera volgo
tam multa informes ursi stragemque dedere
per silvas, tum saevos aper, tum pessima tigris,
249 heu male tum Libyac solis erratur in agris.
255 Ipse ruit dentesque Sabellicus exacuit sus,
et pede prosubigit terram, fricat arbore costas,
257 atque hinc atque illinc umeros ad volnera durat.
264 Quid lynxes Bacchi variae et genus acre luporum
265 atque canum? quid quae inbellis dant proelia cervi?
258 Quid iuvenis, magnum cui versat in ossibus ignem
durus amor? nempe abruptis turbata procellis
nocte natat caeca serus freta, quem super ingens
porta tonat caeli et scopulis inlisa reclamat
262 aequora, nec miseri possunt revocare parentes.
266 Scilicet ante omnis furor est insignis equarum:
et mentem Venus ipsa dedit, quo tempore Glauci
268 Potniades malis membra absumpsere quadrigae.
250 Nonne vides ut tota tremor pertemptet equorum
corpora, si tantum notas odor attulit auras?
ac neque eos iam frena virum neque verbera saeva,
non scopuli rupesque cavae atque obiecta retardant
254 flumina correptosque unda torquentia montis.
269 [Illas dicit amor trans Gargara transque sonantem
Ascanium, superant montis et flumina tranant.]
Continuoque avidis ubi subdita flamma medullis' e. q. s.

quibus quae uncis inclusimus, ante versus 250—254 scripta et ab amicis ut priorem lectionem in marginem leganda fuisse conicio.

Quarti libri initio inde a v. 8—17 exponitur, in sede apibus eligenda quae caveri debeant, tum 8—32) quae expetenda sint, post (33—46) de aedificandis alveariis. Unde consentaneum est, quae nunc guntur v. 47—50 rectius supra adferenda fuisse, ut praeter ventos et pecus haec abesse iubeantur:

- 13 'absint et picti squalentia terga lacerti
pinguibus a stabulis meropesque aliaeque volucres' e. q. s. usque ad v. 17
47 'neu proprius tectis taxum sine neve rubentis
ure foco cancros, altae neu crede paludi,
aut ubi odor caeni gravis, aut ubi concava pulsu

- 50 *saxa sonant vocisque offusa* resultat imago.
 18 *at liquidi fontes et stagna virentia musco*
adsint' e. q. s.

Nam illic posita nullo cum ceteris vinculo cohaerere Schraderus etiam perspexit, qui tamen cum florum herbarumque apibus gratarum enumeratione (30—32) taxum coniungi voluit. Quod si item voluisse poëta Columellae IX 5 ordine praecepta sua tradere, certe debebat alia ac ‘neu’ vocula periculosa cum salutiferis componere.

Turbarum aliquid eiusdem viri sagacitas etiam ei loco inesse sensit, ubi natura apum describitur. Quae quibus cautelis inpendente pluvia utantur, postquam narratum est (191—196), sequentia in mirabili earum prolem ex ipsis floribus herbisque colligendi procreandique ratione versantur. Inde et regem et eives, inde et domus et regna sponte oriri (197—202). Quo fieri ut quamvis singulac exigua vita fruantur, genus tamen sit immortale (206—209). Regem vero summa pietate coli: eo salvo salvam esse rem publicam, amisso labi omnia et susque deque haberi (210—215), eo iubente ipsam mortem fortiter tolerari (216—218). Omisimus autem versus 203—205:

saepe etiam duris errando in cotibus alas
 attrivere ultiroque animam sub fasce dedere:
 tantus amor florum et generandi gloria mellis.

Quos fuerunt qui hoc sententiarum nexu proposito cum vicinis conciliarent: ‘colligunt apes generis immortalitatem ex floribus, cui tanto studio operam dant, ut ne ultima quidem pericula detractent’. Nec omnino dubium est, quin ‘generandi gloria mellis’ ad studium illud referenda sit. Sed tamen quotiens haec relogo, aut paulo uberius aut nihil de periculis istis dicendum fuisse videtur. Atque uberiora ut expectes, maxime invitat formula ‘saepe etiam’, quae cum in solis georgicis apud Vergilium inveniatur, nusquam non ita usurpatum, ut enumeratis pluribus novum quoddam eodem spectans addatur: cf. I 84 322 365 III 132 409 IV 42. Quo accedit etiam conclusionis gravitas quaedam: ‘tantus amor’ e. q. s., qui quantus esset debebat paulo copiosius enarrari. Certe comparata currulis certaminis descriptione (III 112), quae eisdem fere verbis terminatur: ‘tantus amor laudum, tanta est victoria curae,’ exilitas quaedam versuum nostrorum apparat. Deesse autem hoc quidem loco facillime possunt. Quare alium eis locum Schraderus post v. 196 elegit, ut haec coniungerentur:

‘et saepe lapillos
 ut cumbae instabiles fluctu iactante saburram
 tollunt, his sese per inania nubila librant.
 saepe etiam duris’ e. q. s.

At expectamus ‘saepe tamen’, nec inde quod venti vi abreptae quaedam mortem oppetunt, studii illius ardor quantus sit conspicitur. Possunt vero etiam haec componi: 215 ‘ille operum custos, illum admirantur, et omnes Circumstant fremitu denso stipantque frequentes, Et saepe attollunt umeris et corpora bello Obiectant pulchramque petunt per volnera mortem. Saepe etiam duris’ e. q. s. Quamquam vel sic ad venerationem regis non possunt nisi artificio quodam referri, ut intellegantur haec: ‘amisso rege omnia perdunt ac diripiunt, at salvum ut et defendant bello et opibus augeant vitae ipsi minime parcunt.’ Nec potest negari, sine his versibus satis magnifice reliqua exire. Itaque adsentior Wagnero, separatim eos in chartam coniecerisse poëtam neque cum ceteris ut concenteret satis curasse.

Paucis deinde de divina apum origine versibus interpositis ad messis tempora rationesque explicanda accedit Vergilius. Docet autem primum, quo artificio (228—30), deinde quasi parenthesi interposita quibus anni temporibus mella ex favis promenda sint (231—35), tum demum commemorat, quanta ira copias suas apes defendant (236—238). Sed haec etsi Duebnerus sic potius transponenda duxit: 230. 236—38. 231—35. 239 sq., tamen intacta relinquamus: certum tamen est colligendi mellis praecepta his absolvi et in sequentibus

ad alia transiri. Quis igitur post novem versus, ubi de purgandis alveariis dicitur (239—247), expectet rursus ad messem se revocari his (248—250):

quo magis exhaustae fuerint, hoe aerius omnes
incubent generis lapsi sarcire ruinas,
complebuntque foros et floribus horrea texent

praesertim cum quae sequuntur de morborum remediis artissime cum suffiendi ratione cohaereant? Sed ne post v. 238 quidem commode ista adnectuntur, quoniam carent velut hac verborum copulatione: ‘sed nihilo minus iras illarum aspernatus reline mella; quo enim magis exhaustae fuerint’ e. q. s. Qualia cum desint, secernenda sunt, quae ne cum ceteris artius consarcinaret morte prohibitus est Vergilius. Idem ei accidisse v. 276 intellexit Wagnerus. Sed manifestissimum suspicionum nostrarum exemplum reservavimus, quod quale sit brevissime sic adumbramus. Scripserat ni mirum in priore editione Vergilius haec:

- 287 nam qua Pellaei gens fortunata Canopi
accolit effuso stagnantem flumine Nilum,
et circum pictis vehitur sua rura phaselis,
quaque pharetratae vicinia Persidis urguet:
294 omnis in hac certam regio iaeit arte salutem.

Postea emendans carmen varia temptavit, ut versus 289 loco Nili fluminis naturam et cursum copiosius declararet. Sed cum nondum liqueret, quid potissimum substitueret, interim reliquit in versus 289 vicem confieta haec:

- 291 et viridem Aegyptum nigra feeundat harena { usque coloratis amnis devexus ab Indis 293
292 et diversa ruens septem discurrit in ora

Quae cum promiseue omnia amici in textum reeepissent, variae inde turbae natae sunt, quarum indieia bene faetum est ut certissima in antiquis libris servata sint. Nam a vulgato ordine, cuius P testis est, diversus in R legitur hic: 290. 292. 293. 291. 294, in M autem hic: 290. 292. 291. 293. 294, practeriit commentando Servius v. 292 sq., Philargyrus 291 sq.



Jahresbericht

ü b e r d a s S c h u l j a h r 1 8 5 4 — 5 5 .

I. Chronik des Gymnasiums.

Am 7. October 1854. wurde das neue Schuljahr mit Gesang und Gebet, Verlesen der Schulgesetze und einer Ansprache des Directors an die Schüler eröffnet. Eine besondere Weihe erhielt diese Stunde durch die Einführung zweier Lehrer in den Kreis der Collegen und der Schüler. Herr Dr. Otto Ribbeck in Berlin, am 27. Juli v. J. von der städtischen Schulcommission zum zweiten ordentlichen Lehrer an unserm Gymnasium gewählt und unterm 13. Septbr. von dem Königl. Provinzial-Schulcollegium hierzu ernannt, war dem an ihn ergangenen Rufe gefolgt und trat mit dem heutigen Tage in seinen amtlichen Wirkungskreis ein. Herr Dr. Wilhelm Herbst in Bonn, ebenfalls am 27. Juli v. J. von derselben Behörde zur Vertretung des durch Krankheit an der Ausübung seiner Amtspflichten gehinderten Oberlehrers Dr. Beltz gewählt, übernahm heute die ihm übertragene Thätigkeit. Je ausgezeichneter die Männer sind, welche der Director Namens der Anstalt zu begrüszen und in dieselbe einzuweisen hatte, desto bedeutungsvoller muszte der kurze Act ihrer Einführung in unsern Kreis sein. Mit Freuden darf hier öffentlich bezeugt werden, dass ein groszer Theil der Hoffnungen, welche die Anstalt auf die Wirksamkeit der neuen frischen Lehrkräfte setzte, sich in schöner Weise bereits erfüllt hat.

Da der Gesundheitszustand des Oberlehrers Dr. Beltz im Laufe der nächsten Monate sich leider nicht besserte und ein ärztliches Attest die Aussicht, unsern Collegen seinem Wirkungskreise an der Anstalt zu erhalten, auch für die Zukunft abschnitt, so sah sich die städtische Schulcommission genöthigt, seine Pensionirung auszusprechen. Das Königl. Provinzial-Schulcollegium bestätigte diesen Beschluss unterm 9. und 30. Decbr. 1854., so dass, vom 1. April d. J. an, Dr. Beltz definitiv in den Ruhestand getreten ist. Die Anstalt, der er, während eines Zeitraums von mehr als zwanzig Jahren, seine Kraft und Lehrertüchtigkeit gewidmet hat, wird sein Andenken immer dankbar bewahren, und es thut wohl, anführen zu dürfen, dass eine Anzahl früherer Schüler des Gymnasiums und mehrere Aeltern von Schülern, die dasselbe noch jetzt besuchen, auch ihrerseits die Achtung, welche sie dem abgetretenen Lehrer zollen, in einer seine Verhältnisse sehr erleichternden Weise zu erkennen gegeben haben. Wir wünschen und hoffen, dass unser pensionirter College den Schülern, wie dem Collegium unserer Anstalt, seine Theilnahme erhalten werde.